portunitate imo quarto impetuoso furore illuz nocte media capientes, et hincinde veluti ludibri pilam circumrotantes, ante matutinum vt euz caperent: post matutinum vt eum occiderent non dormientes: vsque quo illud perficerent. infatigabiles extiterunt vt vix eum per diem medium naturalez viuere passi sunt. Ex quibus euidens est quod ex ebrio furore populi xps crucifixus est. Vnde Math. xxvij. dicitur quod populus clamabat crucifigatur. Sequitur. Videns autem Pylatus quod nihil proficeret scz ad liberandum eum propter furorez populi: lauit manus suas et tradidit eis iesum vt crucifigeretur. vnde Prouerb. xxvij. Ira non habet misericordiam nec erumpens furor.

## Sexta ratio ad idem. Ca. vj.

Sexto rone ingratitudinis: cuz enim multitudo populi, cum habentibus cultum religionis et peritiam legis, multa beneficia ab vno susceperit atque post illa beneficia illi in summo ingratus reperitur. et si iudicium sit quod populus ille efficiatur ingratitudine plenus. non tamen est absque argumento impietatis aduersus beneficium. ita quod in eo finaliter reperta sit iniquitas talis et tanta, quod preponderanda sit beneficijs ante factis. imo quod a viris magne vite sciencie atque fame priora beneficia iuste debeant obliuioni tradi. Sic contigit benefico xpo. Nam antiquitus cuz iudaicuz populum sibi peculiarem constituisset. ab egypti ergastulo et a seruitute pharaonica liberauit sicco pede per mare rubrum transduxit manna celico in deserto annis. xl. pauit. legem dedit. et vt tueretur eos in columna nubis in die et ignis in nocte illos precessit. hostes eorum prostrauit. terram optimaz eis dedit prophetas eis misit. demumque ad omnium complementum ipse carnem de genere eorum assumens liberator et saluator eoruz venit. Denique post admirandam eius conuersationem. post predicationis instructionem et illuminationem. demonum expulsionem: leprosorum atque omnium infirmitatum curationem: post mortuorum suscitationem. regni celorum declarationem. atque sacramentorum institutionem: manus in eum sacrilegas iniecerunt. flagellauerunt. et tandem sicut maximum malefactorem inter latrones in crucis patibulo crucifixerunt suspenderunt et occiderunt. Proinde propheta in persona domini lamentabiliter ait. Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem anime mee. Et iterum idem alibi ait. Posuerunt aduersum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea Et iterum alibi idem ait Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem. Et Hiere. xviij. etiam in persona domini ait. Nunquid redditur pro bono malum quia foderunt foueaz. i. perditionem anime mee. recordare quia steterim in conspectu tuo vt loquerer pro eis bonum. et auerterem indignationem tuam ab eis

## Septima ratio. Ca. vij.

Septimo rone familiaritatis. Grauius enim et ignominiosius est pati a domesticis et ab amicis. quam ab externis ignotis et inimicis. Audi quid de xpo prophete dicant et considera. Primo quid de iuda propheta in persona domini ait. Etenim homo pacis mee in quo sperauí qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. Secundo de reliquis apostolis relinquentibus eum Esa. lxiij. in persona domini ait. Torcular ego calcaui solus et de gentibus non est vir mecuz Et iterum ps. ait. Elongasti scz permissiue. o pater eterne. a me amicum et proximum: et notos meos a miseria. Et iterum Tren. iiij. admiranter inquit. Quomodo dispersi sunt lapides sanctuarij. i. apostoli et discipuli. Et Job. xix. Noti mei quasi alieni recesserunt a me Tercio generaliter de omnibus in quibus etiam dominus miracula fecit. Dan. ix. dicitur. Occidetur christus et non erit ei populus. Et iterum propheta inquit. Considerabam ad dexteram et videbam et non erat qui cognosceret me. non autem dixit ad sinistram quia ibi erat beata virgo pro peccatoribus orans secundum Alexan. de halis super psalteriuz exponentem hunc versum.

## Articulus secundus secunde partis de septem alijs rationibus in quibus aperitur magnitudo obprobrij mortis cristi respectu cause materialis.

Secundo etiam ait. Humiliatus sum nimis. scz per causam materialem. vt etiam intelligas aliqualiter stupendam abyssum humilitatis passionis xpi. Contemplare etiam causam materialem que stupendo modo aggrauat vituperium eius. et hoc maxime ex alia septemplici rone. Primo rone nobilis nature. secundo rone forme. tercio rone sapientie. quarto rone gratie. quinto rone fame. sexto rone sequele. septimo rone glorie.

## Prima ratio. Capitulum. j.

Primo obprobriosissima fuit mors cristi rone nobilitatis nature. Quanto enim homo nobilior est: tanto ignominiosa mors sibi illata vituperabilior atque obprobriosior reputatur. sicut patz in rege. sic contigit in xpo qui cum esset magnus in natura factus vilissimus in ignominia. Proinde Apoc. ij. Jo. ait. Hec dicit primus et nouissimus qui fuit mortuus et viuit: nouissimus per contemptum abiectionem et obprobrium hominum voluit esse cristus. qui tantas contumelias et terro

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-493/0535
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG